

meris, quis credat, Principem istum serio voluisse omnes omnino beneficium istud consequi? An si prævideret Rex (Spanhemii simile est), captivos ne velle quidem posse sui liberationem, nec tamen nisi sub ista conditione liberationem illis destinaret, imo nec pretii solutionem, nec conditionem illi annexam innumeris revelaret, dicine is posset serio omnium captivorum liberationem velle? Sane propositio de conditione impossibile æquipollet neganti. Deus enim conditionem per naturam impossibilem adeo non posuit pro hypothese voluntatis suæ, hoc vel istud agendi, quam vir prudens non proponit filium suum educare ad studia, si asinus volaverit, & nemo conditiones notorie impossibiles apponit seriæ promissioni alicujus beneficii: In o Deum velle omnes converti, si credant, nil aliud, quam Deum velle homini dare alas, sed cum conditione prius in turrim volandi. Non immerito huc referas, quæ alias ad extinguendam in Deo voluntatem antecedentem contra Nostrates, DD. Pontificios & Arminianos tela vibrat Rhætorfortis Exercitat. de Voluntat. Anteced. & Consequent. quibus ipsorum sociorum sententia impetitur, vid. p. 341. seqq.

Denique illi ipsi Moderatiores ad particularismum Fratibus communem relabuntur, tantum abest, ut gratiam dilectionis, vocationis & conversionis, particularem rejiciant. Vid. post Hülsemannum in Vindiciis, p. 48. Autorem des ausführlichen Gegen-Berichts wider Stoschium pag. 17. sqq. Imo. juxta hosce Doctores Deus est medicus suscipiens curationem multorum desperate ægrotorum (rectius dixeris in peccatis plane mortuorum, ne in Pelagianorum vel Semi-Pelagianorum pelagus labare præceps) & æqualiter laborantium. Medicus habet varia medicamenta, quorum alia aliis gradu virtutis & efficacia sanandi præstant: quædam infallibiliter morbum tollunt, quædam movent, sed non prorsus expellunt, quædam vix movent, possent etiam morbum pellerè,

D

nisi